DE

VERSIBUS GLYCONICIS

SCRIPSIT

HERMANNUS WEISSENBORN

PH. D. AA. BB. M.

PARTICULA I.

DE BASI VERSUUM GLYCONEORUM.

LIPSIAE

FR. KŒHLER.

1840.

In laudatis poetarum tragicorum locis semper eum versus numerum primo loco posui, quem habet G. Dindorfius in Scenicis poetis; uncinis inclusi in Aeschylo laudando Wellaueri, in Sophocle Hermanni, in Euripide Matthiaei numeros.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

FRIDER. IACOBSIO

GODOFREDO HERMANNO

AUG. SEIDLERO

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR

PRAEFATIO.

Pauca haec lecturis offerenti, ante omnia mihi venia petenda est, quod exiguam tantum partem doctrinae de versibus Glyconicis (quo nomine non solum veros Glyconeos et polyschematistos, sed et longiores et eos comprehendere libet, qui anacrusin monosyllabam quique amphibrachum pro basi habent) ediderim, quum mihi proposuerim de toto horum versuum genere eadem fere ratione qua Seidlerus de versibus dochmiacis agere; sed non levissimi momenti haec mihi videtur esse lis quam nuper denuo movit Geppertus, cuius libellum de Hermanni theoria artis metricae praeceptoribus commendandum censuit S. F. W. Hoffmannus *). *Quodsi*

*) *Handbuch zur Bücherkunde.* Lips. 1838. p. 49.

iis, penes quos de hac re iudicium est, veterum grammaticorum Graecorum doctrinam penitus refellisse visus ero, simulque meam de baseos origine et numero sententiam iisdem probavero, reliqua quae in hac metricae parte studio poetarum tragicorum didicisse mihi videor edere conabor.

H. W.

Scr. Ienae, a. d. III Kal. Iun. MDCCCXL.

Ex quo antiquitatis studium maiori consilio et ordine tractari coeptum est, ita ut singulae eius partes ἐπιστήμαι potius quam τεχναί fierent, omniaque, quae ad eandem pertinent disciplinam, nexu quodam quasi interiore inter se coniungerentur: bene id quoque spectavere plerique VV. DD. ut cuiusvis disciplinae pars theoretica philosophiae exstrueretur auxilio, eoque modo statim a priori locus inveniri posset, quo quaevis res ab antiquis scriptoribus commemorata collocaretur et apte insereretur. Neque id inutile vel ineptum habendum videtur; nam philosophiae est, iter et methodum monstrare, quibus in reliquis disciplinis utendum sit, itaque aut nullam aut sicut apud antiquissimos philosophos omnes fere disciplinas in se continet; inprimis vero philosopho multae res ex aliis petitae in promtu esse debent, quibus ad iudicium suum confirmandum uti possit. Cuius rei testimonia praebent multi et Graecorum philosophi, nec minimum ii, qui nostris temporibus sectarum exstitere auctores, quippe qui et in historia et in rerum naturae scientia et in mathematices studio plurimum essent ver-

sati. Contra non satis reprehendi potest (id quod quibusdam Schellingii et Hegelii discipulis accidisse videtur, qui horum virorum philosophandi rationem ad alias disciplinas transtulere), si quis levi tantum rerum ipsarum cognitione instructus ad philosophicam quam dicunt eius scientiae constructionem accessit, eaque paucis exemplis e re ipsa et experientia desumtis illustrata satisfecisse sibi videtur. Eos qui ita agunt rectissime Baco (in libro de augmentis scientiarum) cum araneis comparat, *quae telas ex se conficiant*; eosque non magis probat, quam illos, qui e contrario *formicae more congerunt tantum et utantur* (empiricos scilicet); ipse autem apis exemplum sequendum censet, *quae materiem ex floribus horti et agri eliciat, sed tamen eam propria facultate vertat ac digerat.* Et in hoc rectissime sentire videtur vir egregius. Certum quidem est, neque infitias iri potest, sola undique congerenda materia disciplinam quandam non efformari, sicuti domus non exaedificatur eo quod lapides tantum in unum comportantur; sed his congestis consilium et rationem ad ordinanda et digerenda omnia adhibenda esse. Nec magis theoria ex philosophia petita ad exstruendam disciplinam sufficit, nulla antea suggesta et praeparata materia; sicuti domus non conficitur ab eo, qui adumbrationes tantum et delineationes fundamenti et murorum facit; immo ante omnia necessarium est, ut satis materiei et lapidum comportetur, examinetur et praeparetur, deinde vero ex iis, quae idonea et fir-

ma agnoveris, muri consilio et ordine quodam dispositi exstruantur, in quibus perpetuum et commodum domicilium, a tempestatibus et nive tutum, habere possis.

Haec de iis inprimis disciplinis dici posse, quae nostris demum temporibus formatae sunt et ad lucem prolatae, quarumque origo nostratium quibusdam viris egregiis debetur, facile quisque concedet. Et metricam artem [1]) inter eas referendam esse quis neget? quae fere usque ad finem saeculi praeterlapsi rarissime et ita tantum tractata erat, ut erroribus veterum grammaticorum inhaererent VV. DD. eosque vitare non possent; donec G. Hermannus illos grammaticos et scholiastas castigavit, methodum eorum pure mechanicam expulit, recteque versus in membra, non in partes pariter quadrisyllabas dividere docuit. Ab illo inde ad accuratiorem metrorum singulorum et stropharum cognitionem perveniri posse spes orta est, neque ea nostri saeculi homines plane fefellit. Et in hac disciplina recte vidit Hermannus et plerique, qui eius doctrinae et institutioni plurimum debent, eiusque exemplum secuti metricae arti excolendae operam navavere, ante omnia ad singula animum advertendum esse, quae ex poetarum veterum lectione hauriri possint, quia veteres gram-

1) Eam inprimis partem dico, quae ad Graecorum carmina systematica et canticos choricos pertinet.

matici et scholiastae in metris constituendis aut omnino nos deserunt, aut certe ea via, quam nobis monstrant, non sunt sequendi. Quo efficitur, ut ex ipsis tantum poetis discendum sit, quaenam sint leges et licentiae versuum, et in quasnam partes singulos dividere liceat cum maxima veritatis specie [2]). Hoc inprimis ita instituendum erit, ut quodvis versuum genus usitatius singulatim examinetur, variae eius formae inter se comparentur et quae primitiva habenda sit inquiratur, inprimis vero etiam licentiae, quas sibi permiserunt diversarum aetatum poetae, bene distinguantur, locorum in quibus occurrunt ratione critica habita. Cuius rei nemo infitias ibit, A. Seidlerum in libro de versibus dochmiacis egregium exemplar dedisse, eumque virum multum ad errores de hoc versuum genere divulgatos cognoscendos et exstirpandos contulisse, quibus factum erat, ut cuiusvis fere formae versus, qui levem tantum cum dochmio similitudinem habebat, pro dochmio haberetur [3]).

---

2) Neque in hoc iis assentiendum videtur quae *Hermannus* antea in libro de metris poetarum Graecorum et Romanorum p. 3. de arte metrica locutus est: *hanc disciplinam ab experientia et poetarum auctoritate haurire nec decet nec tutum est.*

3) Ita Hermannus in duobus quos primum edidit libris, *de metr. p. Gr. et R.* lib. *II*, c. 27. p. 242 sq. *Handbuch d. Metrik II*, 1, 5. §. 175 et 190. duplex dochmiacorum versuum genus distinguit, alterum antispasticae, alterum trochaicae formae

Sed praeter hoc versuum genus aliud quoddam exstat, tragicis non minus usitatum, **G l y c o n i c u m** dico, cuius recte constituendi rationi non minora obstant impedimenta; immo maiora dixeris ea de caussa, quod in hoc a veterum grammaticorum Graecorum sententia, quam usque ad Hermannum omnes secuti erant VV. DD., longissime recedendum nobis est; eamque plane inveteratam et a recentioribus abiectam, nunc a **G e p p e r t o** in duobus libellis contra Hermanni theoriam artis metricae editis[4]) defensam, denuo prolixius refutare debet is, qui hoc sibi proposuit, ut totum hoc de versibus Glyconeis caput absolvat. Praeterea vero, sententia Hermanni de **b a s i** a rhythmo sequenti segreganda iterum probata, de iis disserendum est, in quibus **B o e c k h i u s**, cuius placita nuper **S e l c k m a n n u s**[5]) amplexus est, ab Hermanno recedit.

⏑ –́ | –́ ⏒ ⏓ et ⏒ –́ ⏒ | –́ ⏒

contra in *Elem. d. m.* et *Epitome*, qui libri post Seidleri librum editi sunt, alterum genus non rursus affert.

4) *De versu Glyconeo, dissertatio conscripta a C. E. Geppert, Dr.; Berolini, sumptibus librariae Nauckianae* 1834; de quo cfr. *Hermannus* in: *Jahns Neue Jahrbb. f. Philol. u. Pädag.* 1834. X, 3, p. 249—264, et quae brevius a me monita sunt *Zeitschr. f. Alterthumswiss.* 1836 N. 32. *p.* 257—264. Alter liber eiusdem auctoris est: *Üb. d. Verhältniss der Hermannischen Theorie der Metrik zur Überlieferung, Berlin, Nauck* 1835. de quo disputavi *Zeitschr. f. AW.* 1837 N. 34—36 p. 274—296.

5) *Selckmann de versu Glyconeo, eine metrische*

Sed antequam ad haec accedam, brevibus in universum de principiis agendum est, ex quibus versus cuiusque metrum et genus, ad quod pertineat, dignosci possit. Ubicunque de versus cuiusdam indole metrica ambigitur, ante omnia accurate cum eo versu, qui ipsi in antistropha respondet, comparetur necesse est, quo apparebit, quaenam syllabae ancipites, quae vere longae esse debeant, quia in binas breves solvuntur vel in utraque stropha longae reperiuntur; ita enim persaepe quales sint versus facile dignosci poterit. 6) **Quum vero plerum-**

Abhandlung, Berlin 1834. de qua cfr. *G. Hermannus* in *Jahns N. JB.* 1834. XII. 2. p. 140—147, et quae monui *Zeitschr. f. AW.* 1837. N. 30. 31. p. 242—256; ubi probasse mihi videor, ne hunc quidem virum, quamquam multa egregia attulerit, iis satisfecisse, quae *G. Hermannus* in Elem. d. m. p. 523. pronunciat: *Ac vellem repertus esset, qui hoc genus metri eadem diligentia qua Seidlerus versus dochmiacos pervestigasset.*

6) Exemplum praebet *Pindarus* Ol. XI, ep. v. 3, quem versum si in tribus epodis comparamus

v. 15. Bkh. καὶ χάλκεος Ἄρης τράπε δέ
- 36. οὐ πολλὸν ἴδε πατρίδα πο-(λυκτέανον)
- 57. ἀκρόθινα διελὼν ἔθυε

paeones cum anacrusi esse verisimile est.

Eurip. Or. 141. τίθετε μὴ ψοφεῖτε, μὴ 'στω κτύπος. ant. 153 (152 Ma.) τίνα τύχαν εἴπω; τίνα δὲ συμφοράν; horum priorem versum non sicut antecedentem (v. 140) e penthemimeri trochaico et dochmio, sed ex duobus dochmiis constare, ostendit antistropha. *Ib.* 172 (168 Ma.) μεθεμένα κτύπου. ant. 193 (186) πατροφόνου ματρός, strophae versum, quem pro penthe-

que accidat, ut versus strophae et antistrophae accuratissime sibi respondeant, singulis syllabis pariter longis aut in utraque stropha solutis, facile intelligitur, quotiescunque hoc accidat, comparatione utriusque strophae ad meliorem metrorum cognitionem nihil profici posse, in eaque difficultate alia utendum esse ratione, quae ad finem propositum perducat; eaque ex eo potissimum peti poterit, quod plerumque eiusdem generis rhythmos in eadem stropha coniungi videmus. Ex quo persaepe coniici poterit, rhythmum versus, de quo ambigitur, eum fore, qui rhythmo proximorum versuum est par vel maxime consimilis; qua re multo saepius omnis dubitatio tollenda erit, quam illa quam modo tetigi ratione, quia versus proxime antecedens, etiamsi eundem rhythmum habet quem sequens, tamen non quoad singulas syllabas ita ei consimilis esse solet ut eiusdem antistrophicus [7]). Quotiescunque igitur

---

mimeri trochaico habere possis, dochmium esse, probat antistropha.

7) Etiam huius rei afferri possunt multa exempla. *Aeschyl.* Sept. 130. Παλλὰς ὅ θ' ἵππιος, ποντομέδων ἄναξ, non choriambicos dimetros brachycatalectos, sed dochmios esse, probant qui praecedunt et sequuntur dochmii, quippe qui syllabam primam brevem habeant. Ita *Aesch.* Choeph. 940 (928 W.)

ὁ πυθοχρήστας φυγάς

non diiambum cum cretico, sed iambum cum dochmio esse, ostendunt dochmii antecedentes et sequentes. Idem dici potest de loco Eum. 259 (249 W.).

in versibus, quorum alter alterum excipit, idem genus metrorum agnosci poterit, in errorem incidere vix possumus, etiamsi non quoad singulas syllabas accurate sibi respondeant; quodsi vero tantum cognatos et consimiles rhythmos inesse putamus, sicut trochaeos et creticos, iambos et choriambos, caute tantum hac ratione utendum est, quia non admodum rari sunt versus κατ' ἀντιπάθειαν coniuncti. In quo ne diversissima confundantur, et qui de ea re iudicare vult in errores et haesitationem incidat, ante omnia quaerendum est, quinam sint inter se similes rhythmi habendi; nam hoc inprimis accurate definiatur necesse est, quia ex eo optime de vera versuum Glyconeorum natura (utrum choriambici an dactylici habendi sint) sententia ferri poterit. [7 b])

Contra Choeph. 466 (459 W.) ὦ δόμος ἐγγενής.
ant. v. 471 (464 W.) δώμασιν ἔμμοτον.
non dochmios sed choriambicos dimetros brachycatalectos esse, probant choriambici dimetri catalectici et Glyconei hypercatalecti; inter quos nullus versus exstat, qui tantum pro dochmio haberi possit.

7 b) Qua de re quum valde ambigant VV. DD. in proximo quem edam libello verba facere in animo est; persuasum enim mihi habeo, Glyconeos neque unice choriambicos, neque unice dactylico-logaoedicos habendos, sed duplex eorum genus distinguendum esse, alterum *dactylicum*, cuius et arses solvi nequeunt et paenultima semper brevis est, alterum *choriambicum*, cuius et arses solvi possunt et paenultima anceps reperitur.

Versus similes et oppositi, (κατὰ συμπάθειαν et κατ' ἀντιπάθειαν spectandi) alio modo distinguendi et definiendi sunt, quam grammaticorum veterum ratione, qui versum Sapphicum κατ' ἀντιπάθειαν μικτόν vocant, quia in eo choriambus ditrochaeum sequatur, choriambo vero diiambus consimilis sit, qui trochaeo ἀντιπαθεῖ: 8) sed in hoc poetarum ipsorum usus consulendus et respiciendus est. In primis quidem illud spectandum est, quales pedes et syzygiae alternantes reperiantur, quod pro certissimo cognationis signo habendum est, sicut choriambi et diiambi, ionici et ditrochaei, 9) qui interdum ita consociantur, ut diiambum praecedat choriambus, sequatur etiam choriambus, hunc vero alterum rursus sequantur iambi 10), et in antistropha respondeat diiambus choriambo, cuius tamen rei non multa certa

---

8) Scilicet κατὰ τὴν πρώτην ἀντιπάθειαν quam vocat *Hephaestio* p. 94. Gaisf. 55. Pauw. cf. schol. ad h. l. —; differentiam talem singulorum pedum, sicut iambi et trochaei, anapaesti et dactyli, ἀντίθεσιν vocant *Aristid. Quinctil.* de mus. p. 34. Meib. *Aristoxen.* rhythm. fr. p. 298 init. 300 init. ed. Morell. de quo loco vid. *Geppert über d. Verh.* etc. p. 21.

9) Antispasti quamquam persaepe singuli iambos praecedunt, tamen eos huc referre nolo, quia non alternantes cum iambis occurrunt; nam Priapeus versus, in quo hoc fieri statuunt veteres

⏒ ⏓ – ⏑ | ⏑ – ⏑ – | ⏒ ⏓ – ⏑ | ⏑ – ⏒

non est antispasticus habendus; vid. inf. n. 13.

10) *Aeschyl.* Suppl. 101 (95 W.); ant. 108 (102 W.);

et indubitata exstant exempla [11]); idem fere et in ionicorum cum trochaeis coniunctione accidere notum est, praeterquam quod ionici a minori per anaclasin fiunt ditrochaei, quarum ultima thesis semper longa esse debet. Deinde vero videndum, quorum pedum ordines saepissime κατὰ συνάφειαν in eodem versu vel systemate connectantur, sicut dactyli et trochaei, anapaesti et iambi in logaoedicis (ut de creticorum et trochaeorum cognatione taceam); in quo non negligendum videtur, plerumque arsin et thesin eodem ordine in utroque genere dispositas esse, ita ut utriusque pedum generis arses praecedant, theses sequantur vel invicem; unde verisimile fit, trochaeum vel ditrochaeum, quotiescunque praecedit choriambum, non minus ei cognatum habendum esse et ὁμογενῆ, quam iambum qui eum sequitur. Ita iunguntur antispasti et dochmii [12]), an-

---

Agam. 448 (436); *Soph.* El. 1066 (1055 H.); Trach. 120; diiambus ordinem ducit *Aesch.* Ag. 225 (217); *Soph.* Trach. 116; ant. 126. Inde *Aesch.* Pers. 634 (626) βάρβαρα σαφήνῃ melius monometer iambicus hypercatalectus quam dimeter creticus catalecticus *esse* videtur, quia sequitur choriambos.

11) Nam *Soph.* Philoct. 1100 (1088 H.) ant. 1121 (1107), quem versum affert *Hermannus* in Epit. d. m. §. 410 p. 160. corripienda prima syllaba v. λῴονος sanandus est; certius documentum est quod Herm. ibid. affert, Philoct. 1138 (1123) ant. 1161 (1146).

12) Huic rei plurimum momenti tribuit *Hermannus* *Ztschr. f. AW.* 1835. N. 50 *p.* 401. ubi versuum iam-

tispasti et iambi [13]), quia simile initium a thesi habent; contra non minus antispastum sequuntur trochaei, [14]) quia antispastus in trochaeum desinit. Neque indicia e solutionibus arsium negligenda sunt, quia quaedam versuum genera eas non admittunt e. c. dactylico-logaoedica et anapaesti cyclii, quippe quarum arses irrationales sint [15]); unde facile intelligitur, eos versus, qui pro talibus haberi possint, simulatque arsis una soluta legitur, aliter esse metiendos. Denique ratio prosodica, quae in variis metrorum generibus aliter sese habet, inprimis quod ad correptionem longarum vocalium in fine vocabuli propter hiatum attinet, interdum indicium metri fieri potest [16]).

---

bico-antispasticorum mensuram defendit eo, quod persaepe dochmios praecedant vel sequantur; cuius rei ex primo cantico chorico tragoediae *Aesch.* Sept. ad Theb. exempla affert; dochmios vero antispasticos esse ostendit clausula eorum antipastica
Eurip. Phoen. 1544. νέκυν ἔνερθεν ἢ | πτανὸν ὄνειρον.

13) V. n. 12; genus versuum, in quo antispastum unum sequitur ordo iambicus, de quo dubitavit *Boeckhius* in catal. lectionn. Berolinens., defendere studui in libello de verss. iambico-antispasticis, de quo vid. *Hermann.* in *Ztschr. f. AW.* 1835 *N.* 47—50.

14) Vid. *Herm.* Elem. d. m. p. 236 et inf. not. 41.

15) *Dionys. Halic.* de compos. verbb. s. 17. p. 109 Rsk.; ib. s. 20 p. 143 ult. Locos exhibet *Feussner* de antiquorum metrorum et melorum discrimine, Marb. 1836. p. 5 ult. sq.

16) *Seidler.* de verss. dochm. p. 96 sq. *Herm.*

His praemissis iam ad inceptum meum redeo.

Elem. d. m. p. 49. Exemplum praebet *Eurip.* Or. 976 (964), *ἰὼ, ἰὼ πανδάκρυτ' ἐφαμέρων*, quem ab antispasto incipere prima arsi soluta naturae convenientius est, quam a basi, praemissa anacrusi, sequentibus trochaeis, qualem mensuram Boeckhius in versu strophae Or. 965 (953) *ἰαχχείτω δὲ γᾶ Κυκλωπία* statuit.

De compositione versuum Glyconeorum antispastica.

Versus Glyconeum et Pherecrateum Hephaestion [17] inter antispasticos refert, hunc dimetrum catalecticum, illum acatalectum appellans, cuius secunda syzygia in diiambum mutata sit, quia non deceat hoc genus antispastis claudi [18]; de utroque autem versu sicut et de longioribus versibus, quos inter antispasticos refert, narrat, primi antispasti primum pedem (h. e. iambum) omnia bisyllaborum *σχήματα* **recipere posse, contra medias syzygias antispasticas puras esse, exceptis iis, quae iambicam dipodiam sequantur, ut in Priapeo metro [19]**

⏒ ⏓ – ⏑ | ⏑ – ⏑ – ‖ ⏒ ⏓ – ⏑ ⏑ – ⏒

---

17) *Hephaest.* p. 56 G. 33 P. Τὸ *ἀντισπαστικὸν τὴν μὲν πρώτην συζυγίαν ἔχει τρεπομένην, κατὰ τὸν πρότερον πόδα, εἰς τὰ τέσσαρα τοῦ δισυλλάβου σχήματα· τὰς δὲ ἐν μέσῳ, καθαρὰς ἀντισπαστικάς· τὴν δὲ τελευταίαν ὁπότε ἐστὶν ἀκατάληκτον, ἰαμβικήν· — καὶ ἔστιν ἐπίσημα ἐν αὐτῷ τάδε· (πενθημιμερὲς μὲν τὸ καλούμενον* ΔΟΧΜΙΑΚΟΝ) — *ἐφθημιμερὲς δὲ, τὸ καλούμενον Φερεκράτειον — δίμετρον δε ἀκατάληκτον τὸ καλούμενον* Γλυκώνειον; **metra horum versuum sunt** ⏑ — — ⏑ | ⏑ — — **et** ⏑ — — ⏑ | ⏑ — ⏑ —.

18) *Mar. Victor.* p. 2536 (p. 120 *Gaisf.* in ed. *Scriptorum Latinorum rei metricae, Oxon.* 1837): *Vitat hoc metrum suis pedibus concludi; nihil enim hac clausula asperius, nihil durius.*

19) *Hephaest.* p 55. G. 32 P. *ἐὰν δέ που ἀναμίσ-*

Eodem modo Aristidis Quinctiliani verba intelligenda videntur, qui quidem multo maiorem huic generi licentiam concedit, cuiusque syzygiae prima parte ita mutanda [20]; sed in hoc et reliquorum scriptorum metricorum auctoritate et exemplo eorum versuum confutatur, qui inter antispasticos referuntur (velut Sapphici heccedecasyllabi, Asclepiadei et similium); nec magis quadrant verba quae statim sequuntur [21], immo ineptissima haberi possunt, nisi forte aut seriorum poetarum licentia, cuius nobis non nota sunt exempla, aut musica ratione, quae fortasse talia permisit, explicare mavis.

γηται ταῖς ἰαμβικαῖς, οὐ μόνον τὴν πρώτην συζυγίαν ἔχει τρεπομένην κατὰ τὸν πρότερον πόδα, ἀλλὰ καὶ τὴν ταῖς ἰαμβικαῖς ἑπομένην. Ἔστι δὲ ὅτε καὶ λύεται ὁ πρότερος ποὺς εἰς τρίβραχυν. Eadem habet *Draco Stratonic.* de metr. p. 165. ed. Herm. qui ib. p. 166 etiam chorei (i. e. tribrachi, cf. *Dionys.* de compos. verb. s. 17 p. 105 R.; *Hephaest.* c. 3 et 5. p. 31 G. 17 P. ὁ γὰρ χορεῖος τοῦ ἰάμβου ἐστὶ λύσις. *Diomed.* p. 475. P. 432 G.) mentionem facit.

20) *Aristid. Quinctil.* de mus. lib. I, p. 54 Meib. (apud Gaisf. ad Hephaest. p. 198) τὰς εἰρημένας χρήσεις τοῦ κατ' ἀρχὴν ποδὸς ἐν πάσῃ χώρᾳ παραλαμβάνον (sc. τὸ ἀντισπαστικὸν γένος) τὴν κατάληξιν εὐπρεπείας ἕνεκεν εἰς ἰαμβικὴν καθαρὰν ποιεῖται.

21) Ib. p. 55 Meib. ὁμοίως καὶ τῆς ἰαμβικῆς τὸν πρότερον πόδα τρέπον εἰς τοὺς λοιποὺς δισυλλάβους, ἐνίοτε δὲ εἰς τρίβραχυν ἢ ἀνάπαιστον, διὰ τὴν πρὸς τὸν ἴαμβον συγγένειαν. Quae verba *Hermannus* (de metr. poett. Gr. et Rom. p. 22) de basi dicta non recte credit, quum ipse paullo post p. 23 dicat, basin semper ab arsi excipi.

Haec fere sunt, quae Graeci grammatici et metrici de hoc versuum genere statuunt, Romanorum grammaticos nunc praeterire liceat; qui eandem quidem quam Hephaestio legem antispasticorum agnoscunt, neque id genus plane ex numero metrorum principalium [21 b]) eximendos censent, tamen fere omnes Glyconeo et Pherecrateo dactylicam aut choriambicam mensuram tribuunt, de qua in fine huius capitis videbimus. Illam vero de compositione Glyconei antispastica sententiam ex eo potissimum manasse liquet, quod metrici et scholiastae omnes versus, qui non aperte ex uno eodemque genere pedum constant (sicut trochaici, iambici, dactylici, anapaestici, paeonici) ab initio syzygiis quaternarum syllabarum metiebantur, nec rhythmum primarium exquirere et ab eparchis atque clausula separare studebant. Hinc perversa apud eos metrorum schemata, hinc ridicula versuum nomina (e. c. epionicorum et epichoriambicorum, qui falso κατ' ἀντιπάθειαν μικτοί perhibentur [22])) hinc incredibiles li-

---

21[b]) *Mar. Victor.* lib. II. init. p. 2513 (92 G.) prototypa vel primiformia appellat haec metra: dactylicum, anapaesticum, iambicum, trochaicum, choriambicum, antispasticum, ionica, paeonicum. Quae de Glyconei mensura statuant, vid. inf. not. 58.

22) Nec Romanos Grammaticos, quamquam pleraque melius dividunt, ab ista ineptia plane intactos fuisse, ostendit locus *Mar. Plot.* de metr. p. 2657 (290 G.) ubi antispasticum hephthemimericum Pherecratium ex hippio, i. e. epitrito, quarto, hippio primo,

centiae, quas poetae sibi arrogasse narrantur, sicut e. c. paeonem pro ionico vel epitrito poni posse statuunt [23]); in quo inprimis scholiastae adeo ineptos sese exhibuere, ut persaepe, ubi longa in duas breves solvitur, aliam metiendi rationem ineant [24]). Longum est et taedet, pluribus exemplis istorum hominum ineptias monstrare, qui non alia de caussa Glyconeum in partes binas aequales quidem sed ita dirimunt, ut duae syllabae, quae semper breves reperiuntur et necessario in unam thesin binarum morarum connectendae sunt, misere distineantur, quam quod prima brevium quarta

---

hippio tertio (l. *secundo*, Gaisf. ad hunc locum: *potius ionico a minori*) et spondeo vel trochaeo constare dicit:

Nunc te Bacche canam, nec non silvestria tecum.

Non meliora habet idem c. 8, 10. 11. de versibus Sapphicis (p. 2658 P. 291. 292 G.), quae emendavit *Neuius* ad fr. Sapph. p. 15. 16.

23) Cf. *Triclin.* ad *Soph.* El. v. 169 sq. *Schol. Eur.* Or. 812.

24) *Eur.* Hec. 710 (697) ἐμὸς ἐμὸς ξένος, Θρήκιος ἱππότας, ubi *Schol.* τὸ ά παιωνικὸν ἡμιόλιον ἐκ παίωνος δ' καὶ ἰάμβου διὰ τὴν ἀδιάφορον· τὸ β' ὅμοιον δίμετρον ἀκατάληκτον ἐκ παίωνος ά καὶ κρητικοῦ (ubi legisse videtur Θρηΐκιος). Quos versus dochmios esse nemo non videt; similiter

Eur. Or. 807 (795) ὁ μέγας ὄλβος ἅ τ' ἀρετά.

Schol. ἰωνικὸν ἢ παιωνικὸν δίμετρον ὑπερκατάληκτον ἐκ παιώνων δυὸ ά καὶ συλλαβῆς

appellat, deinde vero addit, hunc versum et choriambicum dimetrum esse posse, cuius prima syzygia sit δίτροχος πεντασύλλαβος; quum Glyconeum polyschematistum facile quivis agnoscat.

totius versus syllaba est. Praeterea id quod primus primae syzygiae pes cuiusvis bisyllabi formam habere potest, et aliae quaedam rationes moverunt G. Hermannum [25]**, ut totum hoc genus versuum, quod antispasticum appellant veteres, abiiceret (quia volubilitate illa bisyllabi primi natura antispasti, ex qua nomen accepit, dissolvitur) et Glyconeorum aliorumque similium versuum aliam distributionem et mensuram statueret, choriambicam scilicet vel logaoedicam praemissa basi h. e. quovis bisyllabo vel ternarum morarum pede, qualem et in Aeolensium versibus dactylis praemitti videmus. Quam sententiam nostrorum temporum VV. DD. quibus haec res curae fuit, secuti sunt, inprimis Boeckhius, qui eo omnem difficultatem tolli posse**

---

25) *Hermann.* de metr. poett. Gr. et R. p. 213 sq. *Handb. d. Metr.* p. 95 sq. quamquam in his duobus satis caute agit et nimium antispastis tribuit, praeterea vero versu *Soph.* Philoct. 1147

ἔθνη θηρῶν οὓς ἔχει

quippe in quo duae syllabae breves contractae sint, non recte utitur, quia legendum est

ἔθνη θηρῶν οὓς ὅδ' ἔχει.

Deinde vero etiam solam logaoedicam mensuram statuit, ita ut multos versus, quorum paenultima longa, non Glyconeos sed antispasticos esse dicat ⏑ — —́ ⏒ | ⏑ —́ — ⏓.
In recentioribus vero quos scripsit libris de arte metrica, Elem. doctr. metr. p. 222 sqq. et Epit. d. m. §. 211 sq. totam veterum grammaticorum de antispastis doctrinam abiicit et in capite de versibus Glyconeis choriambicam mensuram proponit.

ratus est, quod transitum a thesi ordinis praecedentis ad anacrusin sequentis in eodem versu non asynarteto admittendum negaret; quamquam in hoc nimium probare videtur [26]). Utrumque, et Hermannum et Boeckhium, confutare aggressus est nuper C. Ed. Geppert in dissertatione de versu Glyconeo, cuius iam supra [27]) mentionem feci; in qua primum veterum grammaticorum de Glyconeo sententiam exhibet, tum multa, quae ad eorum theoriam pertinent, affert, quae non bene video quo nexu inter se et cum versu de quo scripsit cohaereant; deinde p. 14 sqq. non sine quadam modestia ad Hermanni sententiam se convertit, quae a veterum theoria recedat, nimirum quod basin extra rhythmum statuat; cui opponit, omnino nihil a numero segregandum esse, et ab Hephaestione tres dactylos, quos praecedit pes qualiscunque bisyllabus, Aeolicum tetrametrum dactylicum, et similiter versum

Ἐρασμονίδῃ χαρίλαε

anapaesticum hephthemimeres appellari; [28]) his addit: *Nam quid simplicius atque rei aptius quam ut versus ab initio metiamur* [29])? Porro p. 16 sq. contra id disputat, quod Hermannus transpositionem

---

26) Nam hoc argumento nisus totum genus versuum, qui antispasto et iambo constant, expellere conatur cf. supra n. 13. et inf. n. 31.

27) Vide supr. p. 5. n. 4.

28) *Hephaest.* p. 83 G. 48 P.

29) *Geppert* de v. Gl. p. 15 extr.

numeri et temporis dicit, quae quidem in ionicorum a minori anaclasi accidat, non tamen ita extendenda sit, ut quivis pes a syzygia, qua contineatur, abscindi et a fine versus in initium transponi possit, quod nec probabile sit, neque ullo Graecorum testimonio nitatur. Denique contra Boeckhium disputat, qui [30]) antispasticum rhythmum continuari posse negat, quia thesin anacrusis in medio versu excipere nequeat, nisi ubi duo cola asynarteta in eodem versu legantur; talem enim coniunctionem exilem, humilem, ignobilem maxime appellat Boeckhius [31]). Rationem vero, qua haec impugnet, non aliam affert Geppertus, quam syzygiae naturam, quippe in qua duo pedes ita coniungantur, ut altera sit arsis, altera thesis; itaque in antispasto totum trochaeum pro arsi habendum esse, quam sequi possit numerus a thesi incipiens. Quamquam in hoc non recte refutare videtur Boeckhium, qui simili modo syzygiam in arsin et thesin dividit [31 b]); nam eo quod trochaeus in antispasto arseos locum exhibet, non desinit ultima syllaba per se cum antecedente comparata thesis esse, quam anacrusis novi ordinis sequi non potest, nisi ancipitem statuamus. Inde singula exempla versuum

---

30) De metr. Pind. p. 67.

31) *Boeckh.* de m. P. l. I, p. 79. 81 ult. l. III. c. 2. p. 175. de quibus locis verba feci in lib. de vv. iambico-antisp. p. 34—36.

31^b) *Boeckh.* de m. P. p. 30; *Munck Metrik* p. 5 ult.

Glyconeorum apud lyricos et *Aeschylum* obvia affert, et inde a p. 24 de iis versibus agit, qui cum Glyconeis coniungantur; quae ut facilius perspiciantur, permultos exhibet tragicorum canticos choricos, *Aeschyli* p. 26 sq. *Sophoclis* p. 32 sq. *Euripidis* p. 41 sq. pauca deinde de usu horum versuum apud *Aristophanem* p. 55 et apud *Horatium* p. 56 addit; postremo cur *Pindari* versus (scilicet a Boeckhio dispositos) praeterierit, in fine libelli exponit. Non in mente erat singulas sententias viri, qui grammaticorum lectioni sane multum operae navasse videtur, exponere et perstringere (nam uberius de ea dissertatione egit *Hermannus* in censura eius [32])); sed tantum paucis verbis indicare volui, quomodo rem aggressus sit. Verum illam ipsam G. Hermanni censuram aegre ferens, quippe in qua refutatus esset, libellum edidit, in quo totam Hermanni theoriam artis metricae impugnaret; sed hoc ea ratione fecit, qua hominem humanitatis studiis deditum contra virum in iisdem insignem, et iuvenem contra senem, cuius et ipse institutione fructus erat, minime agere decebat; de quo libello equidem in Zimmermanni diariis [33]) quae mea *sit* sententia exposui; nunc vero ea inprimis spectanda mihi videntur, quae de compositione versus Glyconei antispastica et contra Hermanni de basi sententiam disputavit. Leguntur haec in primis in ca-

32) Vid. supr. p. 5. n. 4.
33) *Zeitschr. f. Alterthumswiss.* 1837. N. 33—35.

pite *de syllaba ancipiti* p. 33, ubi haec fere dicit auctor libelli: *Quod Hermannus in dipodia iambica et trochaica proponit, breve tempus a rhythmo expostulari, falsum est; nam ita tantum ratio par 3: 3 exprimeretur, quae iam per se in numeris inest; nec magis longum expetit tempus, nam eo ratio par dirueretur et nasceretur epitritica 3: 4. Contra syllabam ancipitem requirit, quae et longa et brevis esse potest, ut momentum maius quantitativum alterius partis, alterius depressio et ita arsis et thesis exprimantur. Alternationem hanc syllabae tantum in debiliore parte pedis, nempe in thesi, locum habere posse, quivis intelliget. In dipodia singulorum temporum eadem, quae in syzygia pedum inter se ratio est. Quodsi in dipodia iambica prima syllaba anceps legitur, in trochaica ultima est indifferens, non mutata arsi et thesi pedum*

⏓ – ⏑ –́ et – ⏑ –́ ⏓ [34].

Contra numerus antispasticus, in quo syzygica ideoque multiplicativa ratio inest, non a syllaba ancipiti, sed a pede ancipiti incipit, quippe qui sit rationis factor. Talem mensurae varietatem iis quoque thesibus, quae arsin sequuntur, velut choriambicis, non concessam esse, nemo mirabitur, quia eo dimidia versus pars turbari potuisset. Ita antispasti

---

34) In horum schematum neutro recte positus est ictus primarius; v. p. 23. med.

a pede ancipiti ⏑⏑–⏑, *sicut iambi a syllaba ancipiti incipiunt.*

Mirum sane videri possit, tali modo veterum grammaticorum praecepta defendi posse, quippe qui fortuito tantum versus ab initio in quaternarum syllabarum ordines segregarint, quas syzygias vocavere, nihil vero de ratione multiplicativa et de pede ancipiti statuerint; immo haec omnia a Gepperto veterum theoriae obtrudi, sicut permulta alia, facile intelligetur. Inprimis quod de *multiplicativa* ratione, quae syzygiae insit, dicit, non liquent; quomodo enim i a m b i cum t r o c h a e o consociatio multiplicando ex alterutro nasci potest? Immo duplicanda et thesi et arsi ex iambo tantum ionicus a minori, ex trochaeo tantum ionicus a maiori nasci potest, neutrum vero horum ancipites in thesi admittere, quis est, qui ignoret? Neque Geppertus id statuit, qui utrique syzygiae sicut et choriambo tactum musicorum nostrorum $3/4$ tribuit [35]). Quodsi vero de totius pedis multiplicatione cogitandum est, ex iambo multiplicando tantum diiambus, ex trochaeo ditrochaeus nasci potest. Deinde etiamsi concedimus, antispasti priorem partem, iambum scilicet, debiliorem esse et theseos locum tenere; cur haec ex omnibus syzygiis una tot et tantas admittit varietates, contra reliquae ne ullam quidem admittunt ancipitem syllabam [36])? Denique id quoque non recte intelligi

35) L. l. p. 67.

36) Nam de ionicis, pro quibus paeones poni dicuntur (v. supra n. 24), cogitari non debet, quippe

potest, cur secunda antispasti pars nonnisi incuria poetarum spondeus fieri possit [37]); ita enim persaepe fiet, ut quamquam sit arsis, tamen minus temporis momentum habeat, si utraque syllaba prioris pedis longa est, quod apud veteres lyricos (e. c. Anacreontem) et tragicos non raro accidit. Neque concedendum est Epperto, iambicam dipodiam ita ad analogiam iambi simplicis compositam esse, ut posterior iambus sit arsis ideoque fortiorem habeat ictum; immo prioris iambi arsi maiorem vim concedendam esse, quia totius ordinis prima est et ab ea reliquae syllabae pendent, quis est qui neget? Eodem modo in trochaeis vulgaribus prima cuiusque dipodiae arsis primaria est, nisi quod in trochaeis numerorum Doriorum, quos epitriticos vocaverim quia semper ultimam thesin longam habent, altera dipodiae pars maius habere videtur momentum, ita ut non minus talis trochaei simplicis structurae contraria sit talis coniunctio, quam iambica dipodia repugnat simplicis iambi structurae.

Quae quum ita sint, haud scio an ulli hisce verbis probaverit rationem suam auctor libelli, neque alios eiusdem locos afferre necessarium videtur; nam alius, ubi de natura baseos, qualem Hermannus

---

qui ex ionicorum ordine sint extrudendi; praeterquam quod haec licentia, etiamsi conceditur, nihil huc facit, quia in his non thesis sed arsis ionici alteramutram syllabam ancipitem admitteret.

37) *Geppert* de v. Gl. p. 18; vid. inf. p. 24 sq.

statuit, ex binis arsibus compositae, disserit, postea[37 b]) a me tangetur.

Iam vero necessarium videtur, ut ea afferam, quae mihi maxime contra illam sententiam de antispastica Glyconei natura facere videntur, quum ea iterum tanquam unice vera a Gepperto ex tenebris reducta, et rectior illa, qua basis ab ordine choriambo vel logaoedico segregatur, in dubium vocata sit.

Et primum quidem iam supra breviter monui, summam dubitationem moveri diremtione illa violenta duarum brevium, quae inter longas intersunt, quasque secundum aliorum versuum analogiam arctissime cohaerere et unam thesin efficere statuendum est. Quid enim est quod cogat, inter duas breves syllabas intercidere, nisi unquam alterutra anceps legatur; quod necessarium non esse, immo polyschematismo (mente grammaticorum et scholiastarum) et poetarum incuriae tribuendum esse Geppertus contendit [38]), quamquam non iis argumentis nisus, quae firment sententiam: *Sed syllaba anceps nisi vehementer fallor ad versum, ad dipodiam, ad periodum pertinet, in syzygia non ex fine videtur explicanda esse, sed si unquam posita est, hoc polyschematismo imputandum atque potius negligentia quam consilio poetarum videtur*

---

37 b) *Geppert üb. d. Verhältn.* etc. p. 51; vide infr. n. 65; praeterea l. l. p. 59 Hermanni argumenta impugnat.

38) De v. Gl. p. 18.

factum esse. — — *Syllaba anceps igitur, quae ad rhythmum ipsum nequaquam attinet, sed ex comparatione syllabarum et ex positione explicanda est, in his numeris* (ionicis, choriambis, antispastis) *locum non tenet, quippe quum hi magis ad musicam, iambi autem, trochaei atque dactyli magis ad orationem videantur pertinere.* Profecto non tantum intercedere potest discriminis inter syzygias et eas certe dipodias quae cum illis alternantur e. c. inter choriambum et diiambum [39]; neque desunt exempla, in quibus diiambi huius anacrusis longa legitur; nonne diiambus, qui antispastum in Glyconeo sequi dicitur, eandem admittere credendus est? Praeterea complura exstant genera versuum iambicorum dactylicorum et trochaicorum, quae ad compositionem stichicam et ad declamationem nunquam adhibebantur, sed semper tantum in canticis choricis et lyricis occurrunt, eaque persaepe inter illos versus, qui ex

39) Praesertim quum veteres sibi non constent in usu vocis syzygia, quod iam *Hermannus* monet de metr. poett. p. 37 sqq. coll. *Aristid. Quinct.* I. p. 36. 52. ed. Meib. *Atil. Fortunat.* p. 2688 (335 G.) *Plot.* p. 2628 (248); quibus adde *Mar. Victor.* p. 2490 (61 G.) qui binorum pedum coniunctionem qualemcunque basin vocat, parium tautopodiam, imparium syzygiam; et *Diomed.* III, p. 476 (434 G.) qui omnes quaternarum syllabarum pedes syzygias vocat; denique *Mall. Theodor.* p. 532 Gsf. qui vel pentasyllabis et hexasyllabis hoc nomen dat, quamquam huic loco, cum lacuna praecedat, parum fidei habenda videtur.

syzygiis constant et cum iis κατὰ συνάφειαν et fractione verborum coniuncta leguntur. Neque inter omnes has formas utriusque generis in dubium a quoquam vocari poterit, in commissura ordinum diversi generis thesin, quae claudit priorem vel incipit alterum, ancipitem esse, immo hoc certissimum esse metri vel ordinis finiti indicium. Itaque in syzygia quoque, quae in thesin simplicem exit, caussa non exstat, cur ea semper brevis legatur, praesertim ubi eam statim sequitur anacrusis, quae vel exposcere videtur, ut thesis eam praecedens gravius acquirat momentum, quo melius versus in ea paullisper acquiescere possit, et utraque distineatur; quod fit in versibus iambico-antispasticis, in quibus semper, paucis iisque non satis certis exemplis exceptis [40]), thesis prioris ordinis longa reperitur. Contra si in utraque stropha et thesis et quae eam sequitur anacrusis breves sunt, oritur suspicio, utramque in unam coalescere debere thesin bisyllabam. Neque aliter hoc accidit vel ibi, ubi antispastum arsis sequitur, sicut in dochmiis et in antispastico-trochaicis

προχαλκεύει δ'αἶσα φασγάνουργος [41]).

---

40) Ubi in alterutra tantum stropha thesis antispasti brevis est; collegit eos locos *Seidler.* de vv. dochm. p. 28. cf. ea quae d. vv. iambico-antisp. p. 17 seqq. disputavi et *Herm.* in censura libelli *Z. f. AW.* 1835 N. 47. p. 389. De eo, quod thesis talis, quae praecedit novam anacrusin, in medio versu longa esse debeat, vid. id. libell. p. 36.

41) *Aesch.* Choeph. 647 (637 W.); in stropha respondet

Duas breves illas syllabas, quas Geppertus auctoritate veterum illorum grammaticorum et metricorum dirimit, connectendas esse et in unam thesin contrahendas, facillime ex eo coniici potest, quod saepissime Glyconei qui dicuntur versus cum iis coniunguntur, qui thesin binarum brevium habent, dactylos dico et choriambos. Cuius rei innumera quidem apud poetas tragicos exstant exempla, quorum nonnulla afferre proderit. Primo loco ii enumerandi sunt, qui κατὰ συνάφειαν et fractione verborum cum Glyconeis coniunctos choriambos et dactylos continent [42]; deinde non minus tribuendum est iis locis, in quibus singuli versus choriambici vel dactylici inter systemata Glyconeorum leguntur [43]. Minus quidem momentum habent, quam-

---

v. 640 (631). διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ.
Alter locus quem affert *Herm.* Elem. d. m. p. 236.
Pers 976 (936) huc non pertinet.

42) Choriambici cum Glyconeis arcte coniuncti leguntur *Soph.* Antig. 332. *Eurip.* Herc. fur. 803 (783 Ma.) ubi stropha v. 785 (765) corrupta.

Dactylici *Aesch.* Eum 531 (504) ant. 540 (513); *Eurip.* Hecub. 451 (447).

43) Dactylici singuli: *Soph.* Oed. Col. 676 (682 H.) ant. 689 (695);
Eur. El. 452 (450) ant. 464 (462); Jon. 456 (459); ant. 476 (479); Iph. Taur. 1092 (1061); ant. 1109 (1078).

Choriambici singuli: *Soph.* Antig. 806 (800); ant. 823 (817); *Eurip.* Or. 811 (799); Phoen. 236 (229); Herc. fur. 352 (349); ant. 368 (365); ib. 673 (661);

quam non omnino spernendi videntur, dactylici vel choriambici ordines, qui praecedunt [44]) Glyconeos vel sequuntur, [45]) quippe de quibus facile suspicio oriri possit, transitum fieri ab aliis ordinibus ad alios plane diversos. Denique nec ii quidem plane abiiciendi videntur loci, in quibus Glyconei et ionici a minori se invicem excipiunt. [46]) Quorum locorum recte ratione habita, haud scio an aperte

---

ant. 687 (675); 786 (766); El. 181; ib. 460 (458); ant. 472 (470).

44) Choriambici praecedunt Glyconeos:
Aesch. Pers. 633 (625); Ag. 448 (436);
Soph. 1185 (1164);
Eur. Heracl. 910 (905); ant. 919 (914). Herc. f. 637 sq. (631); ant. 655 sq. (646); Med. 643; ant. 652.

Dactylici praecedunt: *Aesch.* Pers. 584 sq. (576); Suppl. 85 (80); ant. 90 (85); Eum. 347 (329).
Eur. El. 140 sq.; Phoen. 792 (785); ant. 809 (802).

Dactylico-logaoedici: *Aesch.* Suppl. 662 (648); Ag. 1482 (1461); Choeph. 315 (313).
Eurip. Ion. 1048.

45) Choriambici sequuntur Glyconeos:
Soph. El. 1066 (1055) sq.
Eur. Iph. Aul. 173.

Dactylici sequuntur: Aesch. Ag. 720 (702);
Soph. El. 124 (123); Oed. Col. 241; Philoct. 1091 (1080).
Eurip. Iphig. Aul. 225 (221); Bacch. 157 (145).

46) *Aesch.* Ag. 449 (437); ant. 468 (455); ib. 691 (676); ant. 709 (692); ib. 744 (724); ant. 775 (335); Choeph. 327 (324); ant. 358 (53).
Soph. El. 1060 (1049); *Eur.* Her. fur. 678 (666).

pateat, valde cognatos esse debere Glyconeos iis metrorum generibus, quae thesin binarum brevium habent, quippe quibus tam saepe coniunguntur; unde verisimile fit, Glyconeis quoque tale pedum genus inesse, et binas illas breves in medio Glyconeo non seiungendas sed connectendas esse.

Deinde vero id quoque magnam suspicionem contra antispasticam versus Glyconei mensuram movere videtur, quod tanta prioris partis primi antispasti varietas esse dicitur, ita ut nulla eius certa mensura constitui possit, nisi ea, quam Geppertus tentavit ⏒ ⏓ –́ ⏑, in qua tamen trisyllaborum schema vix ita exprimi poterit, ut excludatur proceleusmaticus; praesertim quum altera pars antispasti (sicut reliqui antispasti, scilicet in longioribus versibus, quos pari modo antispasticos vocant) accuratissime syllabarum eandem quantitatem retineat, neque quidquam mutari sinat, praeter longarum syllabarum solutionem. Rationem quidem, qua Geppertus in libro de Hermanni theoria metricae artis illa excusat, non sufficere neque quidquam probare, supra[47]) ostendisse mihi videor; neque Hermanni argumentum, licentia ista totam pedis naturam antispasticam disturbari, his verbis labefactatum esse videtur[48]): *Antispasti nomen a metricis inventum est, quum apud Musicos Cho-*

---

47) Vid. supr. p. 20 sq. — *Gepp.* l. l. p. 33.

48) De v. Glyc. p. 15 init. cf. *Herm.* Elem. d. m. p. 520.

riambus Choreus a Trochaeo, Antispastus ab Iambo vocaretur. Etenim nomen mutatum non rem mutat; et quum sequentes antispasti longiorum versuum tam accurate teneant quantitatem legitimam et naturam huic pedi convenientem, quae inest in arsium collisione, cur hanc in primo plane solutam et exstinctam credamus? Neque enim fugere potest eum, qui vel paucos Glyconeos versus legit, multo frequentiorem trochaeum in horum versuum initio legi, quam *iambum*. *Praeterea non* minimi momenti esse videtur, quod antispasti prior pars, ubicunque in aliis versibus occurrit, semper iambicam aut eam certe formam habet, quae ex iambo derivari possit; quod de dochmio versu (quem antispasticum πενθημιμερές ipsi vocant veteres Grammatici; potius antispastum cum sequenti arsi esse crediderim) ostendit Seidlerus; nec minus idem de iambico-antispasticis liquet [49]) et in aliis quoque versibus e. c. in iis, qui antispasto et trochaeis constant, idem fieri consentaneum est. [50])

Iam vero ad illud argumentum accedendum mihi est, cui Geppertus plurimum tribuere videtur, *quod simplicissimum et rei aptissimum sit, versus a principio metiri*; [51]) et quantum huic tri-

---

49) Vide quae in lib. de vv. iambico-antispasticis monui p. 9, ubi et ostendi, persaepe huius prioris iambi arsin solvi, non eam quae sequitur.

50) Cf. supra p. 26. n. 41.

51) De v. Glyc. p. 15.

buendum sit, non ex grammaticorum sententia, sed ex locis ipsis poetarum ostendam exemplis allatis, quae probent, interdum generi cuidam versuum *anacrusin* praemitti. Quamquam enim iam supra significavi, quam ineptae et inconcinnae versuum formae a grammaticis et scholiastis hac ratione fingerentur, quod versus a principio metiuntur; tamen his uti nolo, ne circulum in demonstrando facere quibusdam videar; itaque syzygiarum compositiones, quae *epionicae* vocantur (quum potius choriambici versus, praecedente amphibracho vel penthemimeri iambico

⏑ – ⏑ | – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ – ⏓
⏑ – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ –́ ⏑ –

esse videantur)[52] hoc loco non in iudicium vocabo; sed podicas tantum formas, quas praecedere anacrusin apertum est, adhiberi posse liquet. Quamquam ex his quoque bisyllaborum systemata eximenda sunt e. c. trochaei cum anacrusi, quippe qui facillime pro iambis haberi possint; neque cretici cum anacrusi admittendi videntur, quippe quorum certe primus cum praecedente anacrusi diiambum efficere credi possit[52b]. Quo efficitur, ut omnium pedum (qui ab arsi incipiunt, nam a thesi incipientes praeire nova anacrusis non potest) solus restet

52) Hos versus inter metra κατ' ἀντιπάθειαν μικτά refert *Hephaest.* p. 81 G. 47 P.

52b) *Aesch.* Ag. 403 (392); ant. 420 (411); ib. 437 (426); ant. 450 (444).

dactylus, quippe qui cum praecedente anacrusi in unum coniungi omnino non possit, quia amphibrachi metra non componunt. Iam vero non pauci exstant versus, in quibus dactylos plures anacrusis longa vel brevis antecedit [53]), quae aperte extra rhythmum dactylicum ponenda videtur. — Et bisyllabos pedes quoslibet (i. e. basin) dactylis praemitti, non est quod demonstratione egeat; tantum Aeolicorum qui vocantur dactylorum mentionem faciam, quos inter et Glyconei versus primas origines arctior intercedere videtur cognatio. Iam Selckmannus [53b]) recte monuit, hoc genus versuum optimum documentum praebere baseos, qualem recentiores inde ab Hermanno in Glyconei versus initio statuant, Hephaestioni non ignotae. Neque eam neglexit Geppertus, immo eosdem pro sua sententia versus attulit, dicens [54]): *Hephaestion dactylicos Aeolensium versus, qui tribus dactylis praemissa basi*

---

53) *Aesch.* Prom. 135; ant. 151; ib. 426; Sept. 751 (733); ant. 759 (741); Suppl. 525 (520); ant. 532 (527).

Soph. Ai. 372 (365); Oed. Tyr. 154; ant. 163; Oed. Col. 1244 (1246); Antig. 354 (352); 582 (578); ant. 593 (589); Trach. 635; 822; ant. 832.

Eur. Alc. 436 (450); ant. 446 (460); Iphig. Taur. 417 (404); El. 482 (480); Med. 410 (414); 627 (624); 976 (965); 1148 (1138).

53b) De v. Glyc. p. 2; cf. *Hermann.* de metr. poett. p. 215.

54) De v. Glyc. p. 14 extr.

constant, non dubitavit quin tetrametros vocaret; (quia nimirum basin hanc non ab rhythmo segregandam, sed sicut quamvis syllabam in eam recipiendam crediderit). Quodsi basin hanc Aeolicam loco primi dactyli habendam censet, duce Hephaestione [55]), hoc non plane repudiaverim, sed hoc loco incertum reliquerim; modo id concedatur, basin talem per se contemplandam neque cum sequentibus syllabis in unam dipodiam s. syzygiam coniungendam esse.

Denique omittendum non est, non omnes veteres, qui de arte grammatica vel metrica scripsere, antispasticam compositionem versus Glyconei statuisse; sed Latinos scriptores rei metricae, licet numerum antispasticum non ex prototypis novem eiiciendum censeant [56]) et quae admixta sint iambicis coniugationibus antispastica et iucundiora et sonora

---

55) *Hephaest.* p. 42 G. 24 P. vid. inf. n. 68.

56) Hoc tamen a quibusdam eorum aequalium factum esse, ex iisdem locis Latinorum coniicere licet: *Mar. Victor.* p. 2533 (118 G.); *Mar. Plot.* 2656 (289 G.); idemque statuisse credo *Terentianum Maurum*, qui antispasticorum versuum nullam facit mentionem. Qui vero antispasticum genus retinent, eandem quam Graeci licentiam primi iambi in quodvis bisyllabum mutandi exhibent: *Atil. Fortunat.* 2694 (344 G.), qui Sappho inventricem antispastici generis appellat, cf. *Neue* ad Sapph. p. 13; *Serv.* Centim. 1823 (372); *Diomed.* III, p. 505 P. (482 G.)

esse dicant [57]), tamen omnes Glyconicum metrum ex antispasticorum numero excipere et aut dactylicum aut choriambicum praecedente spondeo vel trochaeo esse dicere [58]). Neque mirum videri pot-

---

57) *Mar. Vict.* p. 2536. (120 G.)

58) Dactylicum metrum Glyconeo concedunt: *Mar. Victor.* 2519 (99 extr.); *Atil. Fort.* 2696 (348); *Mall. Theod.* p. 541 G.; Pherecrateo iidem et *Serv.* Centim. 1824 (375) c. 9, 3. — Choriambicum *Mar. Vict.* 2567 (163); 2594 (201); 2599 (208) et alias; *Serv.* 1824 (374) c. 9, 4; *Diomed.* III, p. 518 (306 G.).

Choriambicum s. bacchiacum (secundum musicos) metrum vocant *Mar. Victor.* 2597 (205 G.) *Atil. Fortun.* 2675 (316) *Terentian. Maur.* v. 2608 p. 2441 P. (ubi *Santen* ad h. l. falso *Aristid. Quinct.* p. 56 Meib. et *Hephaest.* 44. 8 affert, qui de trisyllabo pede bacchio agunt); accuratius *Mar. Vict.* III, 16, 5. p. 2583 P. (185 G.) dicit: *Instruendi sane sumus nonnunquam choriambo iambicam basin immisceri, quod genus bacchiacum musici dicunt.* Facile quivis intelliget his locis bacchium rhythmicorum sensu usurpari, qui syzygiam trochaei et iambi βακχεῖον ἀπὸ τροχαίου, iambi et trochaei βακχεῖον ἀπὸ ἰάμβου vocabant (*Aristid. Quinctil.* l. I, p. 37). Inde emendandum bacchicon *Atil. Fort.* p. 2675 (316); et bacchion ib. 2682 (327) in bacchiacon. — Unus omnium *Marius Plotius* Glyconicum antispasticum dimetrum acatalectum distinguit a Glyconio dactylo p. 2656 (290); sed sibi ipse contradicit, dum illum versum ex spondeo dactylo et amphimacro constare dicit. Mira sunt verba *Mar. Victor.* p. 2533 (117 G.) *Dimetrumque* (sc. choriambicum catalecticum)

est, quod Latini metrici a ratione Graecorum, certe in constituendo metro Glyconeo, Asclepiadeo, Pherecrateo et similibus recesserunt, quia lyricorum poetarum Romanorum, qui per auream aetatem floruerant, exemplaria perpetuo manibus volvebant; quos et severitate mensurae aequabilis servandae et simplicitate formarum plerumque excelluisse, in eoque multum inter eos et Graecorum poetas discriminis intercedere, vel leviter intuenti patebit. Quicunque Horatii carmina metro Glyconeo vel Asclepiadeo scripta antispastice metiri velit, quamnam iis dulcedinem et suavitatem inesse credet? Neque in hoc assentiendum videtur Gepperto, qui [59]) Latinos grammaticos castigat, quod *schemata versuum primaria plane neglexerint atque cupide ea amplexi sint*, *quae ex polyschematismo orta rhythmum insitum obscurarent*; quum multo minus schematismum quendam inanem amplexi videantur in metris constituendis et ab initio versuum per quaternionem syllabarum inciden-

---

Lydia dic canoro.

Huic si primam l o n g a m (sine dubio legendum *syzygiam*) *id est*, *si trochaeo retracto iambum* (l. *trochaeum retracto iambo*) *posueris*, *metrum antispastum* (lege *antispasticum*), *quod est huic contrarium*, *figurabis*, *ut*,

Libens Lydia dic cur;

qui est unicus Victorini locus, ubi antispastum in tali Pherecrateo inesse dicit.

59) De v. Glyc. p. 13.

dis, sed potius sensum recti et pulcri et aures de partitionibus faciendis consuluerint; quod etsi non semper fecerunt, tamen in Glyconei versus theoria accidisse facile concedendum est.

Quae quum ita sint, vix longiore confutatione et demonstratione egebit [60] ut intelligatur omnibusque persuasum sit, quid de antispastica Glyconei compositione statuendum sit; nec quisquam dubitabit, quin pes ille bisyllabus, qui in initio eius versus occurrit, cum Hermanno ab ordine logaoedico vel choriambico segregandus sit. Sed his demonstratis non tota sublata videtur lis; nam vel inter eos, qui de basi a sequentibus rhythmis segreganda consentiunt, ambigitur, qui sit eius baseos numerus; qua de re iam secundo loco verba facienda erunt.

---

60) Neque polyschematistorum versuum vera natura h. l. inquirenda est (cui multum tribuit *Hermann.* de m. poett. p. 215 ad confutandam veterum theoriam) quamquam et in hac magnopere erravere veteres et cum eis *Geppertus* (de v. Glyc. p. 1.); quem non recte ab *Hermanno* (*Jahns N. JB.* X, 3, p. 250) reprehendi credo, quod verba Hephaestionis de polyschematismo falso intellexerit; cf. *Heph.* p. 98 (57 P.) 108. 109 (60).

De numero baseos.

Quodsi iis, quae modo disputavi, extra dubitationem positum videtur, duas priores syllabas (vel tres, modo binae breves sint) ab initio versus Glyconei seiungendas esse, quippe quae quasi praeludium et rhythmi introitus esse videantur; eas cum Hermanno basin appellare liceat: cuius tamen quae sit natura et mensura, ambigunt VV. DD. Et Hermannus quidem[61]) ex duabus arsibus nudis basin constare dicit, quarum quaevis anceps esse possit, ita ut spondeus, trochaeus, iambus et pyrrhichius baseos locum tenere possint; contra apud lyricos Dorienses et tragicos poetas maioris gravitatis caussa alteramutram tantum arsin ancipitem, alteram longam esse, in recentiore autem tragoedia (inde ab Ol. 89 vel 90) et in comoedia interdum solvi posse hanc longam. Contra haec Boeckhius de basi ita disputat[62]): *Nomen commodum invenit Hermannus, rem parum mihi videtur perspexisse. Nos hoc vocabulo appellamus ordinem trochaicum ex uno pede, qui longiorum ordinum trochaicorum et dactylicorum primae arsi praefigi-*

61) De metr. poett. I, 7. p. 21.; *Hdb. d. Metrik,* I, 3. §. 39.; Elem. d. m. p. 68 sq.

62) De metr. Pind. lib. I. cap. 10. p. 65.

tur. Mensura baseos primitiva est trochaica –́ ⏑; *quoniam autem integrum constituit numerum, assumta syllaba ancipiti fit* ***spondeus*** –́ –. *Soluta arsi trochaica fit* ***tribrachys*** ⏑́⏑ ⏑ *et ex spondeo h. e. choreo irrationali trochoidi, fit* ***anapaestus*** ⏑́⏑ –, *cuius tamen rarior usus. Alias formas nec Pindarus nec ceteri credo diligentiores chorici poetae tolerabant: qui vero fractioribus et rhythmis et harmoniis usi sunt, Aeolenses melici eorumque imitatores licentiae Comici aliique minus perfecti rhythmici, non modo has promiscue admisere formas, sed praeterea* ***iambum***, *quem nunquam pro trochaeo Pindarus habet baseos loco, atque adeo* ***pyrrhichium***, *alium prorsus habentes rhythmum; postremo* ***dactylum***, *qui tamen, quia est irrationalis, quippe trochaei loco positus, solvi non potest in proceleusmaticum*[63]).

Quodsi Boeckhius, quum de metris Pindari scriberet, ita statuendum ratus est, quippe qui in carminibus suis strophicis severiorem sese exhibeat in singularum syllabarum responsione, ita ut nunquam apud eum trochaeus iambo in basi respondeat: haud id quidem absurdum censeri potest, quamquam mirum videri potest, versus huius

Ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δὲ | χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ

priorem partem, quam statim sequitur Pherecrateus

63) Eadem fere exponit *Selckmann*, de v. Glyc. p. 5 init.

κατὰ συνάφειαν cum ea cohaerens, non esse eiusdem generis, quia non a trochaeo sed ab iambo incipiat. Quicunque vero aliorum poetarum quam Pindari versus spectat, inprimis Aeolensium et tragicorum, profecto is aliter de baseos natura statuat necesse est, quum vel apud severiores tragicos in huius generis versibus iambus et trochaeus sibi respondeant[64]. Quamquam negari non potest, baseos numerum, qualem Hermannus statuit, videri imperfectum neque plane reiicienda esse, quae Geppertus in libello contra Hermanni theoriam dicit[65]: *Quodsi duae syllabae ancipites ordinem rhythmicum ordiuntur, theses esse non possunt, nam in theoria Hermanni sola arsis nuda, non thesis nuda exstat; itaque hae duae syllabae, quae quia anci-*

---

64) *Aeschyl.* Sept. Th. 299. (277 W.)
ἰάπτουσι πολίταις.
ant. 316 (298) ἐμβαλόντες ἄροισθε,
ubi ἐμβάλλοντες minus aptum est.
Choeph. 611 (602) σύμμετρόν τε διαὶ βίου
ant. 621 (612) πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ,
ubi tamen πνείονθ' legi potest.
Soph. Philoct. 1125. 26 (1110. 1111)
γελᾷ μου χερὶ πάλλων τᾶν ἐμὰν μελέου τροφάν.
ant. 1148. 49 (1133. 34)
χῶρος οὐρεσιβώτας, φυγᾷ μ' οὐκετ' ἀπ' αὐλίων.
cf. *Hermann.* in cens. Selckmanni *Jahn's N. Jahrbb.* XII, 2. p. 142; *Ztschr. f. Alterthumswiss.* 1837. N. 30. p. 245. — De basi apud *Anacreontem* v. *Bergk* ad Anacr. prooem. p. 29; et infr. p. 46. not. 78.
65) L. l. p. 51.; vid. sup. p. 23 extr. n. 37 b).

pites sunt impediunt, quominus continuetur ordo, per se sumendae sunt, qua re nascitur basis, quia omni continuitate carent syllabae. Etenim ubicunque duae vel plures syllabae deinceps in versus initio leguntur, quae cum sequentibus non arctissime cohaerere videntur, ut rhythmum habeant et quasi totum quiddam efficiant, arsin et thesin in iis dignoscas necesse est, quarum altera alteram excipit; quodsi vero Hermannus basin e duabus arsibus constare dicit, quarum utraque anceps esse possit, quia ab utraque novus incipiat rhythmus; profecto mirum in modum discerpuntur partes rhythmicae talis versus, quum potius connecti debeant. Igitur duas vel tres syllabas, ex quibus basis constat, ita in unum coniungendas esse, ut arsin et thesin in iis agnoscas, naturae convenientissimum apparebit. Sed in hoc iam dubitatio ex eo nasci potest, quod rhythmus baseos [66]) variari videatur, quippe quae et iambi et trochaei schema admittat, ita ut modo iambicum, modo trochaicum numerum habere videatur. Itaque brevibus exponendum erit, quae sit mea de baseos natura sententia, qua illa, quae contradicere sibi videntur, in unum coniungantur, ratione metrorum, in quibus reperitur basis, et ordinis, quo primum usi sunt poetae,

---

66) Quod ad tempus et rationem mutuam arseos et theseos attinet, ea certe apud tragicos poetas sibi constare statim videbimus; h. l. tantum ordinem quo arsis et thesis sese excipiunt, intelligi velim.

habita. Ante omnia vero ad originem baseos recedendum mihi videtur, cuius radices in versibus Aeolensium dactylicis quaerendae videntur; nam apud Dorienses lyricos antiquiores (e. c. Alcmanem) vix est quod recte pro basi habendum sit, quum Alcmanis versus [67])

ἁ ξανθὰ Μεγαλοστράτα

dactylico-logaoedicus censendus sit. Iam vero in Aeolensium dactylicis versibus a dactylis non prorsus aliena habenda videtur, sed sicut ab Hephaestione [68]) pro metro dactylico numeratur, ita et ex dactylo primo nata esse videtur eo, quod particula temporis metrici (non rhythmici) auferebatur, quae citharae sonis expleri potuit [69]). Ita iam apud Homerum singuli versus reperiuntur, qui a iambo incipere videntur

ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο

---

67) *Alcman.* fr. 18. Schneidewin. ap. *Athen.* XIV, 601 A.

68) *Hephaest.* p. 42 G. 24 P. cf. supra p. 32. n. 55.

69) Haud scio an hoc probetur verbis *Aristidis Quinctiliani* l. I, p. 39 Meib.: χορεῖος ἰαμβοειδής, ὅς συνέστηκεν ἐκ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δυὸ θέσεων. Καὶ τὸν μὲν ῥυθμὸν ἔοικεν δακτύλῳ, τὰ δὲ τῆς λέξεως μέρη κατὰ τὸν ἀριθμὸν ἰάμβῳ; h. e. tactum habet generis dactylici, syllabas vero tantum ternarum morarum. Nisi magnopere fallor, in b a s i metaboles rhythmicae vestigium inesse videtur, de qua *Dionys. Halic.* de compos. verbb. s. 19. p. 130. R. *Aristid. Quinctil.* I, p. 42 Meib.

quales versus ἀκεφάλους vocavere veteres[70]). Igitur quod poetae antiquissimo ob negligentiam elapsum est, vel rationibus prosodicis excusari potest, hoc ab Aeolensibus de industria est quaesitum, ut pro dactylo integro choreum irrationalem[71]) in initio cuiusque versus ponerent, qui tamen aut iamboides aut trochoides esse poterat

⏒ ⏕ et ⏕ ⏒;

interdum tamen et pyrrhichium pro eo ponere solebant, quia et binarum morarum spatium in versus initio lyrae sonis explere poterant. Tempus quod choreo utrique concessum erat, trium et dimidiae morarum spatium non excedebat, quo et proceleusmaticus excludebatur et dactyli levioris irrationalis mensura fere exaequari poterat. Tali vero basi, ubi inventa erat, non solum in puris dactylis, sed et dactylico-logaoedicis et choriambicis ordiendis usi sunt; itaque in versu Horatio valde usitato, quem Asclepiadeum plerique vocant[72]), in maiore Hora-

---

70) *Athenae.* Deipnosoph. XIV, 632. qui eam ipsam negligentiam eo excusat, quod modis adaptata sint Homeri carmina.

71) Hunc et *Boeckhius* statuit in loco supra laudato de m. P. p. 65; sed trochoidem tantum commemorat, licet et trochoides et iamboides in basi varientur et interdum sibi respondeant, vid. sup. p. 39. n. 64.

72) Asclepiadeum vocant *Mar. Vict.* 2557 (148); 2609 (222); *Serv.* 1825 (375); *Atil. Fortunat.* 2700 (353); *Mar. Plot.* 2655 extr. (288 extr.) qui vero p. sq. §. 17. Phaleucium choriambicum eum versum appellat, qui ex spondeo, dactylo, syllaba et

tiano vel Sapphico heccedecasyllabo [73]), qui et ab Alcaeo inventus dicitur [74]), eadem basi usi sunt Aeo-

---

duobus dactylis constet; de quo cfr. not. seq. — *Diomed.* III, p. 508 (487); 517 (505). Idem habet *Incert.* fragm. e cod. Bobiensi ap. *Eichenfeld* et *Endlicher* Analecta grammat. Vindob. 1837. p. 515. Anacreontium hunc versum antispasticum *Servius* 1823 (373) vocat, quum plerique versui syllaba breviori hoc nomen imponant: *Mar. Vict.* 2536 (119). *Trimetrum catalecticum* Anacreontium *ita:*

Amor te meus o pulcra puella.

73) Legitur apud *Horat.* Carm. I, 11. 18. IV, 10; Asclepiadeum vocat *Plot.* 2656 (289) qui omnibus choriambicis brachycatalectis praecedente spondeo hoc nomen convenire dicit, paullo post vero §. 17., eundem versum Phaleucium nuncupari, si dactylis metiendus sit; Sapphicum ἑκκαιδεκασύλλαβον appellant *Diomed.* III, 505 (482); 520 (511) §. 18.; *Mar. Vict.* 2621 (238); — Phalaecium *Diom.* 519 (509) ib. 526 (520). Minime vero ferenda videtur lectio *Diom.* III, p. 510 (491 s.)

Archilochium aliud in Horatio tale est:
Nullam Vare sacra vite prius severis arborem.

quum idem talem versum alias Sapphicum, alias Phalaecium appellet. Ex antecedentibus (ubi saepius deinceps legitur: *Alcaicum aliud* etc.) colligi potest, etiam hoc loco *Alcaicum* legendum esse. Eadem pagina (511 G.) similis error legitur: *Glyconium ex iambico dimetrum in Horatio tale est:*

Non ebur neque aureum.

Ubi Euripidium legendum esse probant *Serv.* 1818 (367 G.) *Triclin.* ad *Soph.* El. 163. 193. — Inde non recte *Bode* (*Gesch. d. Hell. Dichtk.* II, 1. p. 311) Archilochum tali versu iam usum esse narrat.

74) *Mar. Vict.* 2598 (206) quo auctore Phalae-

lenses[75]). Etenim omnes hos versus dactylicos habendos esse minime credi potest, quamquam et quidam Latini metrici Asclepiadeum ex pentametro elegiaco derivant et Boeckhius[76]) in hoc versu

– ⏑ –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –

choriambum cum dactylico-logaoedico coniunctum esse dicit. Basin vero illam, quae dactylos in Aeolensium versibus[77]) et eam, quae in Glyconeis da-

---

cus hunc versum ab Alcaeo mutuatus est; — *Atil. Fortunat.* 2675 (317).

75) Versus quibus usi sunt Lyrici in hoc genere, hi sunt:

a) ⏒⏒ | –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏓ *Anacr.* fr. 79 Schneidew. (Et. M. 713, 7) unde Anacreontium dictum hoc metrum vid. n. 72.

b) ⏒⏒ | –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏑ – (vid. not. 72.) *Alcae.* fr. 15. 25, 1. 2. 26. 32. 61. Schneid. *Sapph.* 17. (30 N.) 78 (28).

c) ⏒⏒ | –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏓ *Sapph.* fr. 43. Schn. (128 N.)

d) ⏒⏒ | –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏑ – *Alc.* fr. 31. 34. 62. 66. Schn. *Sapph.* fr. 13 (21 N.) 27 (20 N.) 62 (22 N.) 74 (23); *Stesichor.* fr. 17 Schn. (ap. *Strab.* VIII, 347).

e) ⏒⏒ | –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏑ –́ ⏓ *Sapph.* fr. 64 (47); 83 (67); *Anacr.* fr. 10, 2. Schn.; 11.

f) ⏒⏒ | –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏑ – *Alc.* fr. 39 (nisi in fine versus Ἀχίλλεα tribus syllabis legendum est, ita ut syllaba brevior fiat versus).

76) De metr. Pind. p. 75.

77) Trochaeum baseos loco in dactylicis Aeoliis habent: *Alcae.* fr. 25. 37. 47. 48. *Schneidew.*

ctylum [78]) et choriambos in Asclepiadeis [79]) praecedit, easdem esse, iam ex pari mensura et sche-

---

Sapph. fr. 12. 19. 20, v. 3.; 37. 40. 48. 86. 87. 88. Schneid.

Spondeum *Alcae.* fr. 17, v. 1. 2.
Sapph. fr. 29. 43. 55 v. 2. 81. 82.

Iambum *Sapph.* fr. 20 v. 1. 49 v. 1. 51 v. 1. 55 v. 1.

Pyrrhichium *Sapph.* fr. 20 v. 2. 38. 49 v. 2. 51 v. 2.

78) Glyconei vel Pherecratei, qui apud *Aeolenses* occurrunt, has habent baseos formas:

Trochaeum *Alcae.* fr. 7 v. 3. 5. 6.
Sapph. fr. 14 v. 1. 5. 15 v. 1. 16.

Spondeum *Alcae.* fr. 7 (decies); 41 (quater); 53.
Sapph. fr. 15 v. 2. 17 v. 2. 41. 47.

Iambum *Alcae.* fr. 20. 23. (utrumque exemplum dubium, quia ab Ἄρευς incipit, cuius prima anceps); 35 v. 2. 42 v. 1.

Pyrrhichium *Alcae.* fr. 7 v. 5. (de coniectura Seidleri);
Sapph. fr. 63 v. 1. 2. 73.

Trisyllabis abstinuisse videntur Aeolenses; nam anapaestus cum sequenti choriambico ordine potius ionicorum a minori systema exhibet *Alcae.* fr. 51. 52. praeterea *Sapph.* fr. 33. tribrachum habet:

σύ τε καλὸς θεράπων Ἄρης

qui versus cum praecedentibus vel sequentibus (quae periere) coniunctus ad aliud genus pertinere potuit. *Dorienses* vero lyrici plures habent baseos formas:

Trochaeum *Simonid.* fr. 2. *Schneidew.* v. 4. eund. interdum respondente spondeo: *Pindar.* Olymp. 1., str. v. 4. *Boeckh.*; 9, str. v. 3. Pyth. 2, str. 2; 5, str. 3. 8, ep. 2; 10 str. 1. ep. 1; Nem. 3, str. 3; 6, str. 1; 7, str. 8; Isthm. 6, ep. 5.

mate utriusque probari videtur, quum et spondeum et trochaeum, et (paullo tamen rarius) iambum at-

---

Spondeum *Simonid.* fr. 30. Schn. v. 2. *Pind.* Ol. 9, str. 7. Nem. 8, str. 1. Isthm. 6, str. 5 (et interdum trochaeo respondentem Pyth. 10, str. 1. ep. 1. Ol. 9, str. 3. Isthm. 6, ep. 5).

Iambum *Pind.* (apud quem nunquam trochaeo respondet, sicut in quibusdam tragicorum locis) Ol. 1. str. 1. 11, str. 6. Nem. 2, str. 1.

Tribrachum *Pind.* Pyth. 5, ep. 9. (cui v. 58 et 116 trochaeus, v. 87 spondeus respondet) 6, str. 1. 3. 11, ep. 2. 4. Nem. 2, str. 4. 4, str. 7. 6, str. 3. 7, ep. 5.

Anapaestum *Pind.* Nem. 6, v. 68.

ἴσον εἴποιμι Μεληγίαν

ubi in praecedentibus epodis spondei respondent; itaque tolli possit h. l. et in basin iambicam mutari lectione ἴ. φάμι M.

Anacreon denique his pedibus in basi usus est:

Spondeo saepissime: fr. 1. Schneid. v. 1—8. 2, 1. 2, ib. v. 4—11. 3, 1—3. 4, 1—4. 5, 1—3. 6, 1. 2. 4. 7, 2—4. 8, 1—8. 9, 1—3. 10, 1. 2. 29. 86[b].

Trochaeo fr. 2, v. 3.

Iambo fr. 7, 1.

Dactyli exempla fr. 2, v. 3. 11. contractione syllabarum in πορφυρέη et Διόνυσε tollenda sunt.

79) In basi, quae plures choriambos praecedit (singulas horum versuum formas vid. supr. not. 75.) *Aeolenses* bisyllabas tantum formas admisere (conf. not. 78):

Trochaeum *Alcae.* fr. 30, 1. 31, 4. 33, 2. 36. 61. *Sapph.* fr. 17. 78, 2.

que pyrrhichium admittant. Iam vero si poetarum, qui illis versibus usi sunt, rationem intuemur, facile intelligemus, primo severiores eos fuisse et trochaeo tantum vel spondeo usos esse, rarius iambo, rarissime vero pyrrhichio (qui vix alii pedi trium morarum respondet) ita ut tale baseos schema constitui possit ⏓ ⏓ h. e. ⊥ ⏒ vel ⏒ ⊥ vel ⏑́⏑; postea vero maiore licentia usos alteramutram harum syllabarum solvisse, ita tamen ut alteram raro simul longam paterentur; itaque tribrachum plerumque, raro anapaestum vel dactylum [80]) adhibuisse, quamobrem ita delineanda videtur basis:

⏓ ⏓ vel ⏓⏑⏑ ⏓⏑⏑ h. e. ⏑⏑́⏒ aut ⏒⏑⏑́

Spondeum *Alcae.* fr. 15. 26, 1. 31, 1—3. 6. 7. fr. 32. 33, 1. 3—5. 34. 62. 64, 1. 2. 65. 66. *Sapph.* fr. 13. 43, 1. 2. 83, 2.

Iambum *Alcae.* fr. 26, 2. 63.

Pyrrhichium *Alcae.* fr. 39. Sapph. f. 62. 64.

Dorienses rarissime his versibus usi videntur, sicut et *Anacreon*, qui fr. 10. *Schneidew.* v. 2. 11. 79. spondeum habet; *Stesichorus* fr. 17, 1. 2. pyrrhichio utitur.

80) Dactylum vero *Euripides* in recentioribus demum tragoediis adhibuisse videtur, quae post Ol. 89. editae aut certe eum habitum quo ad nos pervenere adeptae sunt; ita *Eur.* Suppl. 993 (995 Ma.) ant. 1015 (1018); El. 144 ant. 162; ib. 151. 155. 701 (706); ant. 715 (719); Iph. Taur. 1129 (1098); ant. 1144 (1112); Iph. Aul. 169 (167); ant. 190 (188); ib. 759 (749); ant. 770 (760); Bacch. 155; nam Heraclid. 774 (769)

τᾶδ' ἐπάγοντα δορύσσοντα

ant. 781 (776) ἀνεμόεντι δὲ γᾶς ὄχθῳ

dactylici habendi videntur, quia vocis ἀνεμ. prima syl-

Longum est omnes locos tragicorum et Aristophanis afferre, in quibus spondeum, trochaeum, iambum, tribrachum, anapaestum, dactylum adhibuerunt; praesertim quum non levis momenti sit idemne pes in antistropha respondeat, an non; ut tamen intelligatur, quot cuiusque pedis formas in singulis tragoediis et comoediis reperiantur, tabulam adiunxi, in qua numeri schematum in singulis tragoediis et comoediis (quas eo ordine disposui, quo editae esse videntur) facile cognosci et inter se comparari possunt. Quamquam certo definiri non potest, tot tantum quot recensui Glyconeos et Pherecrateos apud scenicos poetas reperiri; quia aliter distribuendis versibus vel mutanda lectione eiici potest versus Glyconeus aut novus fingi. Itaque quum in canticis choricis nondum eo perventum sit, ut certo constituti sint et definiti singuli versus, numerus eorum versuum, quos vere Glyconeos et Pherecrateos vocare possis, paullulum varietur necesse est.

Iph. Aul. 1051 (1040) χρυσέοισιν ἄφυσσε λοιβάν.
1073 (1062) κεκορυθμένος ἔνδυτ' ἐκ' θεᾶς.
uterque versus a pyrrhichio incipit, quum χρύσεος interdum brevem habeat primam syllabam; *Eur.* Med. 978 (967); Alcmae. fr. II. Dind. *Aristoph.* Thesmoph. 108.

ERRATA.

P.	2	l. 19	pro	*efformari*	l.	*formati.*
-	8	- 9	-	*et*	-	*neve.*
-	22	- 11	-	*liquent*	-	*liquet.*
-	25	- 10	-	*e. c.*	-	*velut.*

…n et *Pherecrateorum admisere*

(post Ol. 89.)									Aristophan.					
Iphig. T.	Ion.	Helen.	Phoen.	Orest.	Iph. A.	Bacch.	Rhes.	Cycl.	Equit.	Nub.	Vesp.	Av.	Thesm.	Ran.
15	5	6	15	5	40	28	13	1	18	2	2	8	9	9
1		1	1	1		2	1		6					
		1			1		3							
		1	1			1								
					1									
					1								1	
3	2	1	2		4	3			2	2	2		6	4
1		1	1	1		2	1		6					
	6	6			3	14	3						1	
1		1			1									
2	6	6			3	1	6					2		1
1 *														
4	7	4	12		18	12							2	5
		1	1			1								
1														
	2*				1*									1
					1*									
					5	1							5	
					1								1	
1														
30	28	30	33	7	80	64	27	1	32	4	4	10	25	20



